

Juste Lipse à Bellarmin.

66

Louvain, 8 Septembre 1599.

✓ Roberto Bellarmino, S.R.E. Card<sup>li</sup> Romam.

Gratulari non tibi, sed nobis et Ecclesiae dignitatem tuam et hanc purpuram, animus iamdiu fuit, nondum occasio; et fateor me inter eos esse, quos verecundia aut modestia continent, nec temere prorum-  
 ✓ punt. At nunc os et stilum mihi solvit adolescens iste quem vides, olim e mea disciplina, qui inter omnes te elegit cui vellet offerri et commendari. Facio libens, et paene dicam securus de successu, quia ingenium eius novi, industriam, progressum in optimis artibus, et addo (caput rei) probitatem morum, cum puritate religionis coniunctam:  
 ✓ quae omnia amari a te scio, et in titulis laudum spectari. Fac periculum, Illustrissime Domine, plura praedicatione mea reperies: et in ipso homine nescio quid venustum et lepidum, anquod occulto velut vinculo ad se ducat. Quod si forte ad alium eundem sit, rogo ut fiat te auspice: ego me et debitum gratiam fateor, et fortasse (libere dixerim) eum mihi, qui me tradente compos gemmulae huius erit. Sed quod initio proposui, ego Ill<sup>me</sup> et Rev<sup>me</sup> Domine, honorem hunc tibi corde gratulor, non donum, sed praemium: et Deum rogo, velit te in eo Ecclesiae suae tutorem et vindicem diu superesse. Lovanii, VI Idus Septembris 1599.

✓ J. Lipsii Epistolarum selectarum Centuria singularis ad Italos et Hispanos. Epist.XCVDD; dans Opera omnia: Anvers 1637, t.II, p.319.